



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

17. Dies Maii. Maxima pœna peccantium est, pecasse. Seneca Epist. 97.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

17. DIES MAII.

Maxima pœna peccantium est, peccasse.

Seneca Epist. 97.

Peccati I.
damna.

Ex vitiis hactenùs recensitis gi-
gnuntur peccata , indè omnia
mala, ex hisce atrocia illa in cor-
pus, & animam damna: quæ tot
sunt numero, ut expeditius fuerit stellas cœli, & are-
nas quæ sunt in littore maris, ad calculos revocare,
quæ ex peccatis protruduntur mala. Ita ut ju-
xtà hodiernæ tesserae pronuntiatum , maximum tor-
mentum peccati sit, commissile peccatum. Illud re-
seravit Orcum, obseravit cœlum, immisit Eumeni-
des in mundum, reclusit portas Jani, & conjectâ in
medium face, bellorum furorem incendit. Ab illo
morborum agmina quæ corpus, luctus, mœror, me-
tus, quæ animum infestant; & quod est horribilium
princeps, mors cum damnatorum iliade, incommo-
dorum chiliade , furiarum triade, ac tandem malo-
rum omnium coronide, ærumnosa æternitate. Ab
eadem pugnæ, doli, malitiæ, incensiones urbium, in-
terneciones civium, provincialum vastitas, Rerum-
publicarum interitus, eversiones Imperiorum. Illud
conficit falcem morti, hastam Marti, fraudem Mer-
curio, nuptis Almodœum, Maminonam opulentis,
Venerem lascivis conciliat. Sub illius atro, & inau-
spicato vexillo militat leno, atque prædo, & Orator
arrogans, & Philosophus cavillans, & Dynastæ san-
guinarii; & Judices nummarii, & harpiæ Advocati,

374 *Christiani Militis* Majus.
& infidi Mercatores, & grex omnis maleficorum, &
fœx maledicorum.

II. Quid aliud stantes evertit, familias obruit,
extinguit hæredes, paupertatem immittit, conflat de-
decus, serit lites, seminat discordias? Vin' cognol-
cere, quod p̄x omnibus cognitu est dignissimum,
veritatem? circumspice, quæ patiuntur passim in
terra homines, despice quæ patiuntur sub terra alii,
inspice & quæ tu ipse sive in animo, sive in corpore
pateris, quæque omnes, quamdiu mundus subsisteret,
olim patientur: invenies mala omnia protrudi à
malo hoc uno, quod inter omnia est malum verè, so-
lum, & summum, à peccato. Illud in naves secunda
vento volitantes inducit fluctus decumanos, Cau-
ros & Aquilones insanos, in aerem contagionem
pestis, in agros uredinem, in arbores siderationem,
in herbas aconitum, in metalla toxicum. Illud te-
xit desperatis laqueum, cudit furibundis gladium,
acut pugnacibus ferrum, ministrat iracundis telum.
In ejus officina ceduntur omnia mala, malè feriato-
rum hominum consilia, ad deflorandam virginita-
tem, labefactandam pudicitiam, enervandam vir-
tutem, evertendam pietatem, pessundandam pru-
dentiam; denique ad jura omnia humana, ac divina
infringenda, atque ita, susque deque omnia confun-
denda. Quid Plura?

III. Indè fulminat æther, nubes tonitruum fra-
gore crepant, aret tellus, debacchatur ignis, exæ-
stuat immensa licentia ponti, terra tremoribus nu-
erat, cœlum ferali cometarum lumine horret, sol stu-
pet, diluvium effundunt cataractæ cœli. Si illud te-
trum monstrum non incoluisse mundum, nec tor-
faner

Majus.

Tessera.

375

funera efferret Libitina, nec tot prælia inferret Bellona, nec tot suppicia præferret Megæra: Nullus esset timor à belluis, injuria à prædonibus, rapina à furibus, vulnera ab hostibus, strages à militibus, pœna à dæmonibus. Placetne illud quod tibi tanto-perè placet, malum, quod, quale, quantumcunque sit, semel, & simul intelligere? Peccatum tormentis æternis immensum est majus. Hinc infælicior ille est, qui unicâ lethali noxâ infectum habet animum, quam si corpus ipsius, quotquot in orco sunt dæmones, licet forent numero infiniti, obsiderent, eorumque singuli omnibus illis tormentis cruciarent, quibus simul damnati omnes torquentur. Et tu contaminatus noxâ lethali, potes vel momento esse latus? Quid respondebis, dum objicietur tibi infinitus ille, quo obstrictus teneris, Dei amor, & sanguis filii ejus, quem, ut satanæ placheres, conculeasti? pro nefas! ubi fas, ubi ratio, ubi prudentia? hominem Christianum cruci rursùs affigere Christum, solum ut gratificetur hostibus Christi? (a) *Filium Dei conculcare*, ut possit inimicus ejus diabolum exultare? Sanguinem divinum sordidissimæ voluptatis gratia, pollutum ducere, & contemnere?

Stat scelus in cultum, sed non remanebit in ultum.

Ultio justa Dei, digna refundit ei.

Aa. 4

18.DIES

(a) *Ad Hebr. 10. 19.*